



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

2. De exactionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

dum erit, *cap. Gravus* 15. & *d. cap. Significavit* 13. *hoc tit.* cum vergat in detrimentum Ecclesie.

5. Permittitur autem Episcopo, quando Ecclesiam suæ diocesis cum consensu sui Capituli exemptione donat, *cap. Pastoralis* 7. *in fine sup. de donat.* in eadem sibi reservare censum aliquem, *cap. Constitutus* 6. *sup. De religiosis domibus, cap. Cum venerabilis* 21. *hoc tit.* Sic enim & Pontifex, cum Ecclesiam à jurisdictione eximit Episcopi, & in suam tutelam recipit, solet oblatum eo nomine censum recipere, *d. ca. Constitutus* *vers.* Nos quoque, *cap. Si Papa de privilegiis* in 6. Sic etiam permittitur patrono Ecclesie tempore foundationis aut dotationis moderatum redditum pensionis nomine constituere, *d. c. Præterea* & *sibi Gloss.* & *Abbas sup. de jure patronat.*

Inferiores autem Clerici Ecclesias, quibus præsent, non possunt absque auctoritate & assensu Episcopi censuales facere, seu censu aliquo onerare; cum auctoritate verò Episcopi possunt.

6. Sed cum hic census annuus, de quo agitur, solvi plerumque soleat in moneta, quæ sæpè vel augetur vel minuitur, quarri potest, quâ moneta solvi census debeat. Respondet Pontifex in *e. Olim* 20. *cap. penult.* *hoc tit.* solvendum esse ad antiquam monetam, id esse secundum æstimationem monetæ, quæ tunc cursum habuit, quando constitutus fuit census: Nisi præscriptum sit, ut solvatur ad alterius monetæ æstimationem.

## §. II.

## De Exactionibus.

1. *Subditi ab Episcopo non gravandi exactionibus.*
2. *Exigi tamen potest charitativum subsidium.*

**E**xactionum nomine intelligit hic Pont. tributa, vectigalia & tallias, *e. Omnis* 2. *h. t.* 1. Prohibet autem in *cap. Cum Apostolus* 6. *h. t.* prohibemus *h. t.* ne subditos suos tallis & exactionibus Episcopi gravare præsumant. 2. Permittit tamen, ut superveniente justâ & rationabili causâ, cui subsidio opus habeat, valeant cum charitate moderatum ab iis auxilium postulare: Quod idè interpretes solent

appellare Charitativum subsidium, *d. §. Prohibemus* & *c. Conquerente* 16 *in fine sup. De officio Iudicis Ordinaris.* *Pialee* p. 2. c. 2. *art. 2. n. 12.* de quo latè Chastan. *ad Cons. Burg. Rub. 1 §. 4. vers.* *Et sur les hommes subjets, num. 11. & multis seqq.* Boëtius *Decis.* 158. extantque de eodem singularares Tract. Bartholomæi de Bellenzinis & Remigii de Gonnii. Cæterum in *d. §. Prohibemus in fine.* vetat quoque Pontifex, ne Archidiaconi sive Decani ullas exactiones sive tallias in Presbyteros seu Clericos exercere præsumant.

## §. III.

## De Procuracionibus.

1. *Procuracionum nomine quid hic veniat.*
2. *Nulla Ecclesia ab his libera, neq. videm præscriptione.*
3. *Modus visitationis & procuracionis.*
4. *Visitatio à Cathedrali Ecclesia inchoanda.*
5. *Forma & ordo visitationis, remissivè.*

**P**ER Procuraciones hoc Tit. intelligitur necessariorum sumptuum exhibitio, quæ ratione visitationis debetur ab Ecclesia vel Monasterio, ei, cui ex officio incumbit jus & onus visitandi, si ve sit Episcopus, sive Archidiaconus, sive Decanus, sive Legatus Summi Pontificis, *e. Cum Apostolus* 6. *in princ. c. Cum instantia* 17. *Procuraciones* 23. *h. t.*

2. Ab his autem procuracionibus nulla Ecclesia aut Monasterium excusatur, & ne quidem præscriptione tolli possunt, *d. c. cum Apostolus* §. *Prohibemus*, *d. c. Cum instantia* *hoc tit.* & *c. Conquerente* *sup. De officio Iud. Ordinar.* tum quia exhibeantur in signum subjectionis obedientie, quam contra Prælatum subditus nequit præscribere, *c. Cum non liceat* *sup. De præscript.* tum quia, cum nemo cogatur, Apostolo teste. *1. ad Corinth.* 9. suis militare stipendiis, meritò qui spiritualia seminatur, & carnalia metere debeat. Ideoque licet Ecclesia aliqua steterit diu, nec unquam procuracionem visitandi exhibuerit, tamen nunc demum petenti exhibere cogitur, *cap. Venerabili* 24. *hoc tit.* nisi per privilegium speciale Summi Pontificis probet se ab ea exemptam, *d. cap. Cum instantia.*

3. Quantum ad modum visitationis & procuratio